

summum ac tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus dubitemusue ? Vix prope est iudicare, utrum magis conduceat generi humano, quando aliis nullus est deorum respectus, aliis pudendus. Externis famulantur sacris ac digitis deos ges- 21 tant, monstra quoque colunt, damnant et excogitant cibos, imperia dira in ipsos, ne somno quidem quieto, inrogant. Non matrimonia, non liberos, non denique quicquam aliud nisi iuuantibus sacris deligunt. Alii in ipso Capitolio fallunt ac fulminantem periurant Iouem. Et hos iuuant scelera, illos sacra sua poenis agunt.

Inuenit tamen inter has utrasque sententias 22 medium sibi ipsa mortalitas numen, quo minus etiam plana de deo coniectatio esset : toto quippe mundo et omnibus locis omnibusque horis, omnium uocibus Fortuna sola inuocatur ac nominatur, una accusatur, rea una agitur, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur et cum conuiciis colitur, uolu<cris uolu>bilisque, a plerisque uero et caeca existimata, uaga, inconstans, incerta, uaria indigno-